

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Geographia universalis

**Ptolemaeus, Claudius
Münster, Sebastian**

Basileae, 1540

Reverrendo in Christo patri ac domino D. Philippo a Gundelsheim,
episcopo Basiliensi, domino suo amplissimo, Sebastianus Munsterus in
Basiliensi academia Hebraisimi professor

urn:nbn:de:bsz:31-67084

REVERENDO IN

CHRISTO PATRI AC DOMINO D. PHILIPPO

à Gundelsheim, episcopo Basiliensi, domino suo amplissimo,
Sebastianus Munsterus in Basiliensi academia
Hebraismi professor, S.



NO STI ornatissime præsul, non temere factum, ut omnium rerum opifex cœlum & terram tam luculenter hominum oculis contuenda exposuerit, imò oculos & caput hominis sic contra hoc admirandū spectaculum cōstituit & in sublime collocauit, ut nihil aliud quàm hæc magnifica dei opera, potentiā & sapientiam eius in hac ipsa machina cœli & terræ conspiceret. Cœli etenim enarrant gloriam dei & opera manuum eius annunciat firmamentū: Et inuisibilia dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Quòd si ea magna & admiranda sunt, quæ propter corpora nostra breui moritura facta sunt, qualia & quanta putamus ea futura, quæ parata sunt diligentibus deum & cōmoraturis cum eo in secula seculorum? Ibi, inquit Isaias, non erit amplius sol qui præsit diei, & splendor lune qui illustret noctem, quin magis dominus ipse erit in lucē perpetuam. Sed uē hominū cecitatis qui cum oculis habeant, nihil uident, palpantes quasi cæci in pariete, & impingentes in meridie quasi in tenebris, ponentes tenebras lucē & lucem tenebras. Cœlum & terra & omnia quæ sunt in eis, specula sunt, creatorem ipsum homini representantia, inuitantiq; ad eius cognitionem, & id nō specie aut operatione una, ne uel sic fastidiū aliquod & fatietatem parerent cōtemplantibus se ullam, sed nouis assidue uicibus animū hominis iucundissime ad laudē conditoris ceu uoce quadā prouocantia. Sic enim alia aliq; quotidie sydera occidunt & oriuntur, noctis dieiq; alia quotidie magnitudo, caloris & frigoris alia quotidie uis, uentorum & uaporū ex terra ascendentium alia quotidie in aëre operatio, alia quotidie senescentis aut reuiuenscentis anni forma, et ut in summa dicā, quam diu cœlum istud suū tenuerit motum, inferioris mundi cursus & quotidiana mutatio nunquam cessabunt. Hęc autē omnia eò tendunt, ut hisce iucundis uarietatibus & uicissitudinibus, ceu stimulis quibusdā hominis animus iugiter excitetur ad dei & omnium rerum conditoris laudem. Et qui his beneficijs nō commouetur, is abutitur dei creaturis, et ambulat ueluti surdus & cæcus in hoc mundo. Legat quisquis dei amicus esse desiderat, psalmum 104., & inueniet quomodo illa creaturarū mira uarietas, officium & ministeriū indefessum atq; diuersa actio, prophete animum rapuerit ad benedicendum deum, excitaueritq; ut in hanc proruperit laudis uocem: Quàm multa sunt opera tua domine, omnia fecisti in sapientia, plena est terra possessione tua. Mare ipsum quàm magnum est, quàmq; latum cōprehendit spacium: En in eo sunt animalia absq; numero, parua & magna, & transeunt naues per ipsum &c. Ostendit hic psalmus, in quantā admirationem duxerit uirum sanctum nature ipsius consideratio, quæ tantam in mundo & partibus eius fecit uarietatem. In terra produxit montes, conualles, flumina, campos, arbores, herbas, flores, frumēta, legumina, poma, pisces, aues, bruta, insecta, conchas, marmora, gemmas, lapides, metalla, homines &c. & in his diuersas formas, species, coloresq; innumerabiles excogitauit ac effinxit. Et inter hęc quedam sunt, quæ homini profunt, alia nocent, alia sunt quæ delectāt & alia quæ molesta sunt. Sed socordia & ignauia hominum accidit, ut facies illa nature apud mortales ne quicquam admirationis habeat, cum pauci sint, qui uel maiestate eius summa uel uarietate mirabili excitentur. Contra quod malū pro-

EPISTOLA

uidentia dei homines quosdam ingeniosos suscitauit, qui imperitis & oscitantibus istis uim naturę eruerēt et per eam opificis admonerent: inter quos alij alias naturę tractauerunt partes, sed nemo propius accessit et plus autoritatis sibi conciliauit quàm hi, qui cœli & terrę situm descripserunt. Et quanquam plurimi fuerint qui id conati sunt, nemo tamen perfectius excellentiusq; hanc inaccessiblei naturę attigit partem quàm Ptolemeus. Hic enim mente in cœlum conscendens & omnes motuum eius rationes obseruans, & quę humani ingenij uires ferè excedunt inuestigans, tam abstrusa & arcana sublimiaque de planetarum, octauę & nonę sphaerę motibus adinuenit, ut uere pro miraculo habendum sit, hominis imbecillitatem eò peruenisse. Et nisi hæc omnia euidentibus demonstrationibus & certis futuris euentibus comprobarentur, nempe luminarium & planetarum coniunctionibus, oppositionibus & obscurationibus, nemo non pro commento haberet, tot & tam uarios ponere progressionis, reuersionis, retrogradationis, trepidationis, deuiationis, inclinationis & reflexionis motus, quibus cœlorum inæqualis saluatur agitatio. Inæqualem agitationē uoco eccentricorum orbium reuolutionem, quę respectu proprii cœtri regularis est, et respectu cœtri mundi irregularis. Porro ubi hæc superioris orbis inaccessa pars lustrata & numeris suis signata cōprehensaque fuit, facile licuit deinde correspondentem & concentricam terrā eisdem illis cœlestibus cancellare lineis & circulis, & ex recta obliquaque horizontis & æquatoris interfectione & poli diuersa altitudine designare climata, parallelos, latitudines & longitudes, atque eisdem inscribere cognitatas terras, montes, flumina, maria, insulas, urbes, castella, solitudines & reliqua id genus, quę in superficie terrę & marium eminent. Et hic quidem Ptolemeus noster super omnes mortales egregie suum exercuit ingenium, sed non potuit tam feliciter eam absoluere partem ut priorem. Nam cōstituto eo in uno terrę loco, potuit omnes cœli obseruare partes propter continuum eius motum, non autem sic licuit contueri terram, nec uni homini sufficiūt uires & anni ad peruagandum uniuersam terram. Hinc itaque est, quod Ptolemeus terras quasdam ab oriente & meridie atq; septentrione incognitas dimisit intactas, & plurimas, quas ipse non uiderat, ex aliorum relatione utcunque descripsit. Fuerunt & suo tempore quædam terrę non admodum cultę nec ab exteris nationibus frequentatę, id quod de Germania, Polonia, Moscouia &c. patet, et idcirco nō potuerūt diligenter lustrari & adamussim describi. At cum hodie nullus terrę angulus non sit ab hominibus penetratus, per nouas regionum descriptiones facile licuit sarcire, quicquid Ptolemaicis antea defuit tabulis. Celebratur toto orbe terrarum Alexander magnus, quod primus ferè penetrarit Orientem, nō nauigio sed pedestri ac tutiori itinere in illum deductus. Sed parua erit illius laus, si comparetur uiris illis, qui nostro æu maria etiam incomperta sulcare tentarunt & Occidentem sua exploratione aperuerunt, innumeras insulas, hominibus & opibus plenas, in uastissimo mari adinuenientes, de quibus hactenus nemini mortaliū quicquam constitit à duobus millibus annorū & supra, nisi fortassis Indis oriētaliōribus & uiciniōribus cōpertę fuerint illorum hominū habitationes. Certe nostro & maiorū nostrorum æuo nemo inter doctos nō putabat totā aquarū uim à principio creationis in illud pelagus reiectam, & aquam ipsam illic in magnam coaceruatam molem, ut possibile nō fuerit ibi aridam quoquo modo apparere, sed falsi sunt omnes, qui in hac fuere sententia, cum nullibi non in mari emineant insulę, siue ad occidentem ieris siue ad orientem, siue meridiem lustres, siue septentrionem. Quantū uero attinet ad Continentem, multi passim in diuersis orbis partibus prodierūt uiri, qui regiones & terras suas diligentissime conscripserunt, aut suppetias illis tu-

lerunt

terru
cent
ri quo
lia co
giz, S
pro m
tam i
goian
ri Bea
gares
Bauar
diofor
& Hu
in qua
Quint
suppet
ego ma
hannes
ro, fon
bulam
signes
cam à f
dens q
anima
hic C
astrolo
Pio ex
resing
austu
nes V
ei mat
Auerit,
stra at
cis iun
uerit,
succell
rant m
ocula
lemar
riora.
Micha
ter Pro
sumus
Primu
ex Ver
murne
in min
tes. C
gitudi
sumes,

N V N C V P A T O R I A

lerunt qui descriptiones huiusmodi moliti sunt, quorum nomina hic libèter recenserem & debito prosequer honorè, si ea omnia mihi cōstarent. Proinde uiri quorū opera ego in nouis meis tabulis usus sum, hi sunt. In descriptione Gallicā consului Oruntij excellentis mathematici topographiam. In tabula Noruegiæ, Sueciæ, Gothiæ &c. usus sum opera præstatis uiri Iacobi Ziegleri, quem & pro magna parte imitatus sum in descriptione terræ sanctæ. Heluetiam & Rhetiam iam pridem ministravit eximius uir Aegidius Tschudas. Alsatiam & Brisgoiam ego obseruauit, usus tamen in quibusdam consilio & subsidio ornatiss. uiri Beati Rhenani. Alias duas Rheni tabulas ego quoq; descripsi, sed cui non uulgares suppetias tulit illustrissimus princeps D. Ioannes Palatinus Rheni, dux Bauriæ & Comes Sponheimensis, omnium bonorum studiorum amator & studiosorū singularis patronus, qui mirabili suo ingenio descripsit Vastum regnū & Hunorum stationem, uulgo Hunesfruck dictam. Cooperatus est deniq; mihi in quarta Rheni tabula humaniss. uir Iohannes Dryander pro sua Hassonia. Quintam Rheni tabulam ministrarunt Brabantini. Angli quoq; & Poloni sua suppeditarunt regna, Franconiā à Sebastiano Rotenhan nobili uiro descriptā, ego mea peregrinatione non nihil auxi. Idem feci in Bauria, quam primum Iohannes Auentinus omnis uetustatis Germanicæ amator descripsit. Sueuiam uero, fontes Danubij & Nigram sylvam ego mea lustratione & obseruatione in tabulam coëgi. Porrò lacum Podamicum exhibuerūt Constantienses, nempe insignes uiri Iohannes Zuickius & Thomas Blaurerus. Appendicem geographicam à sine adiectam, ego ex multis collaui Historicis atq; Cosmographis, ostendens qua quæuis terra prædita sit uirtute, quid potissimū producat, quæ nutriat animalia, quos & quales cōtineat homines &c. Sed redeo ad Ptolemæum. Fuit hic Claudius Ptolemæus Alexandrinus, græcas doctus literas, philosophus, astrologus & insignis mathematicus, florēs sub Traiano, Adriano & Antonio Pio cæsaribus, posterior Strabone, Plinio & Pōponio Mela, sed qui illos & priores in geographico artificio facile superauit. Hūc nouissimis tēporibus duo uiri ausi sunt uertere in linguā latinā, nempe Iacobus Angelus Florentinus & Iohannes Vernherus Norenbergensis. Prior licet calluerit græcā linguā, defuit tamen ei mathematica disciplina, & cōtrā posterior tametsi in mathesi admodū excellerit, destitutus tamen fuit græcarū literarū cognitione. Superueniens ergo nostra ætate Bilibaldus Pirckeymherus Norenbergensis, qui mathematicam græcis iunxit literis, & aggressus autorem ipsum in suo fonte, quoad potuit fideliter uertit, dilucidiorēq; nobis tradidit. Et quoniam in græco exemplari temporis successu multa quoq; deprauata fuerunt, quæ haudquaquam unico restitui poterant momento, multa fugerunt hunc bonum uirum, quæ post eum deprehendit oculatissimus Michaël Villanouanus, qui nō pœnitēdas uigilias locauit in Ptolemæum, emendādo corrupta, explicando retrusa, & scholijs illustrando obscuriora. Nos autem utrunq; secuti, & Pirckeymheri amplexati sumus uersionē & Michaëlis nō respuimus uulgares interpretationes, adiectaq; scholia. Et ne inter Ptolemæi scriptum & insertas annotationes confusio aliqua esset, duplici usi sumus caractere, uno, crassiori scilicet, autorem & altero scholia exprimentes. Primum librum succincto illustrauimus commentario, quod pro magna parte ex Vernhero accepimus: id quod subticere nolimus, ne aliorū inuentis uideamur nos honestare & his nobis nomē parare. In alijs libris graduum fractiones in minuta cōmutauimus, duplici puncto longitudinem à latitudine distinguentes. Cæterum quod non omnibus tabulis in margine parallelis, climata & longitudines dierum adscripsimus, præsertim primis, id nullo alio consilio factū existimes, quàm quod sufficere putauimus figuram illam parallelorum, quam capi

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

te 23. primi libri posuimus. Ibi enim è regione graduū latitudinis inuenies signa-
 ta ad laeuam climata, & ad dextram parallelas atq; longitudines dierum. Sic ne
 eadem bis poneremus, refecimus quedam ueluti parerga ab octauo libro, que
 scilicet post secundum caput de omnibus Europe, Africe & Asię tabulis scribun-
 tur, breuissimis & miro compendio coordinatis figuris ea explicantes sub exte-
 rioribus singularum Ptolemaicarum tabularū titulis. In ipsis autem tabulis suo
 quoq; loco signauimus montes, flumina, insulas, promōtoria, insigniores popu-
 los atq; celebriores ciuitates. Celebriores dico, quia angustia loci plerunq; non
 admisit omnium locorum aut etiam populorum inscriptionem. Ne tamen quic-
 quam deesset tabulis, cōstrinximus simul omissa nomina in quadrilaterū unum
 aut duo, iuxta exigentiam multorum aut paucorum intermissorum nominum.
 Quorum radices si habere libeat, facile in præcedentibus inueniētur libris. Quid
 præterea prestiterimus in ipso Ptolemaico cōtextu, conferentes illum cum gre-
 co exemplari & Vlmensi æditione, quæ in calculo & locorū nominibus, omni-
 bus posterioribus æditionibus purior & incorruptior est, aliorum esto iudiciū.
 Et quoniam nihil ex omni parte perfectū in rebus humanis reperiri potest, non
 dubium quin superuenturi sint, qui & alias mendas, que nos fugerunt, deprehen-
 dent, & hos impresentiarum rogo, ut si quid in hac æditione corruptum inuene-
 rint, candide illud emendent ac benigne corrigant, memores, in tanta exempla-
 rium uarietate non potuisse omnia tam subito restitui in suum nitorem. Hactē-
 nus de Ptolemeo. Nunc ad te redeo, colendissime princeps pariterq; nostrę or-
 natissime Basiliensis Academię antistes, & hunc tam multarum terrarum regio-
 numq; librū tibi offero & inscribo, cuius lectione & inspectione animi leues tæ-
 dium excutiasq; molestias, nullibi non in tanto ciuiliū causarum strepitu & in
 tot controuersis dirimendis, litibusq; componendis occurrentes. Habet enim
 geographia præter eam commoditatem, qua hominem habiliorē reddit ad uni-
 uersam rem literariam tractandam, mirabilem quandam recreandi uim, ut domi
 sedentes, discamus terrarum situm, marium flexus, amnium decursus, montium
 tractus, ciuitatum populorumq; ritus & mores, animalium deniq; effigies natu-
 ram & discrimina, tanquam præsentem omnia contempleremur. Legimus quos-
 dam magnos uiros olim incredibili accensos cupiditate uisendorum locorū ue-
 terum fama celebrium, atq; ob id nullas cunctantes expensas, peragrasse uarias
 terras, hic ut cōtemplaretur fontes Danubij, iste ut uideret Graciam, ille autem
 Aegyptū cerneret, &c. Quod cum nos hodie facere nequeamus ob catholicę
 fidei hostes, qui maiorē terrę occupant partem, domi in ocio manentes, & ma-
 gnos labores itinerumq; pericula uitantes, picture fide præscripta, omnem terrę
 habitudinē spectare possumus, menteq; ab una in aliam transire regionē, & ple-
 rūq; absentes plura uidere in aliqua regione, quàm qui præsentem in
 ea fuerunt. Tu itaq; præsul ornatiss. boni cōsule hanc
 operam meam, & ea qua soles benignitate susci-
 pe animi potius obsequium, quàm mu-
 nusculi paruitalatem. Vale.

